

ARTICULUS 2.

De regimine moderno repraesentativo.

Propositio 211.

Quoad auctoritatis essentiam et exercitium, saepe quidem per accidens, sed non per se repugnat regimen repraesentativum legi naturali.

Stat. quaest. 1) Tres potestates : legislativa, executiva, judiciaria, ad summam auctoritatem civilem pertinent; sed quaestio manere potest, utrum debeant illae tres auctoritatis supremae partes esse unitae in unitate subjecti auctoritatis, an potius separatae et diversae in diversis subjectis.

2) Si tria illa munia quoad exercitium considerantur, separata subjecta exigunt a quibus exercentur, nam diversissimae illae operationes diversas operantium dotes requirunt quae vix unquam in uno subjecto reperiri possunt; nec fere vitari posset periculum magni abusus si una persona vel unus coetus omnes partes auctoritatis impleret.

3) Si tria illa munia quoad radicem et jus spectantur, unitatem subjecti requirunt, nam ad unitatem societatis, unitatem scilicet finis et communis ad eum tendentiae, requiritur unitas auctoritatis etiam concrete spectatae; a. hanc unitatem concretam non habebit auctoritas nisi in aliquo concreto uno subjecto (persona vel coetu) resideat, a quo procedant et communicentur diversis diversa munia quoad exercitium; e.

4) Contra hunc universalem auctoritatis conceptum, fuit saeculo praecedente et nostro inductum regimen separationis trium potestatum, ut se mutuo limitent, abusus tollant. Vocatur hoc systema repraesentativum.

5) *Essentialia* hujus moderni systematis sunt :

a) potestatem legislativam residere in duplici coetu, quorum alter a populo, per electiones deputatorum constituatur, statutis certis temporibus renovetur, repraesentetque populi multitudinem, elementum magis mobile; — alter a populo, saltem partim, eligatur, repraesentetque populi classes superiores aetate et fortunis, elementum magis conservativum, senatus.

b) potestatem executivam residere in principe ejusque ministris; ita ut princeps quidem suarum actionum rationem reddere nulli debeat, sed nihil possit facere sine ministris; hi vero suorum actuum semper debeant coetibus legislativis rationem reddere (sint responsables), neque ulla possint tributa imponere nisi prius illis consentientibus.

c) potestatem judiciariam residere in magistratibus, qui in suis functionibus sint prorsus independentes, nec debeant ulli suorum actuum rationem reddere: conceditur unice recursus ab inferiori ad superius tribunal, in rebus gravioribus.

6) *Accidentalia* hujus systematis, varia in variis regionibus,

a) quoad potestatem legislativam : utrum senatus eligatur totus a populo

ad tempus, an partim solum, partim vero a principe, vel imo jure nativitatis designatus sit; — utrum membra a principe designata ad tempus an in perpetuum maneant; — utrum populus eligat directe ipsa membra coetuum legislativorum, an electores eligat qui ipsi membra eligant; — utrum populus eligens sint universi cives, an soli patresfamilias, an soli proprietarii alicujus determinati census; — utrum leges proponi a solis principis ministris possint, an etiam ab aliis deputatis sive singulis, sive pluribus, an imo ab aliis quibusvis civibus; — utrum leges a principe rejici possint semper, an semel et iterum sed non tertio.

b) quoad potestatem executivam : utrum princeps sit rex hereditate designatus, an praesidens sive a populo sive a populi deputatis electus, et quidem utrum electus ad certum tempus an pro vita; — utrum principis ministri sint a coetibus legislativis dependentes, ita ut ab illis improbat mutari debeant, an ita independentes ut manere possint in conflictu, sitque in auctoritate suprema non unitas sed dualismus.

c) quoad potestatem judiciariam : utrum sint iudices pauci inamovibiles, an multi amovibiles, an post certum tempus vel aetatem amovibiles; — utrum iudices a principe et ministris eligantur, an a coetibus legislativis, an directe a populo; — utrum iudices totam causam judicent, an juratorum civium coetus judicet factum, iudex applicet legem.

7) Huic regimini repraesentativo multa passim obijciuntur; quorum alia vera incommoda, aliae exaggeratae imputationes ut distinguantur, propositione hac et sequentibus sub variis aspectibus illud regimen considerabimus.

Prob. 1^a pars (*saepe repugnat*). Teste experientia et ratione : 1) ex ipso nomine repraesentationis, et ex usu eligendi legislatores eosque post certa tempora mutandi novis electionibus, et ex obligatione ministrorum regionum ut actuum suorum reddant publice rationem; prona est conclusio omnem auctoritatem a populo concedi, ita ut semper penes multitudinem inalienabiliter maneat essentialis suprematia; et de facto saepe haec conclusio ex hoc systemate deducitur, et vicissim qui hanc sententiam defendunt, volunt hoc systemate tanquam unico justo eam applicare;

2) ex facto electionum popularium saepe fit ut opiniones populares, imo factionis popularis minus honestae, in leges abeant, ac proinde habeantur ut supremae normae administrandi remp.;

3) ex facto responsabilitatis ministrorum et divisionis potestatum, fit ut princeps fere nullam publicam administrationem gerat, sed approbatione et acceptatione omnia confirmet quae ministris placuerint; ac proinde pessum datur regia dignitas et auctoritas, et praeparatur inobedientia, et mox rebellio, anarchia; et revera, qui anarchiam et communismum anhelant, regimen repraesentativum tanquam primum gressum in hac sua via requirunt; — a. haec omnia sunt contra legem naturalem; e.

Prob. 2^a pars (*per accidens, non per se*). Per se, i. e. ex natura regiminis hujus necessarium non est : 1) ut auctoritas oriatur ex populo et permaneat

essentialiter in eo, sed undecumque veniat, est in populo jus concurrenti per electiones ad temperandam auctoritatem summam (v. c. ex concessione regis, vel ex pacto mutuo);

2) ut legislativi coetus omnes opinionum popularium fluctuationes sequantur, potius quam rectam rationem: sufficit enim opinionum aliquam rationem habere ita ut nihil contra populi communem constantem opinionem decernatur, in reliquis potius populi mens ab ipsis deputatis illustretur et erroneis praejudiciis evacuetur;

3) ut princeps omnia proposita sibi admittat inexcussa; nam ejus est leges, antequam a ministris proponantur in coetibus legislativis, per se examinare; ministros juvare consilio et ratione; injustam legem vel prohibere quominus proponatur, vel jam deputatorum suffragio scitam, negata sanctione, omni promulgatione destituere et irritam facere. Nec proinde auctoritas regia perimitur, sed temperatur, fit saepe facilius, tutior, populo gratior (nam commoda regi, incommoda ministris responsabilibus tribuentur saepe apud plebem).

Coroll. Vera insuper alia incommoda huic regimini possunt tribui: 1) minorem esse per se *unitatem directionis*, quae pendeat a plurium voluntate; — 2) minorem esse *certitudinem servandi secreti* aliquando necessarii; — 3) minorem esse per se *constantiam legum* et proinde rerum stabilitatem.

Propositio 212.

Quoad finis socialis procurationem non quidem repugnat regimen repraesentativum, sed gravia vitia habet.

Prob. Finis integer socialis procurandus continet 1) partem negativam: defensionem ab hostibus externis, — ab internis perturbationibus, — 2) partem positivam: procurationem mediorum ad exercitium jurium circa bona materialia, — circa bona intellectualia et moralia; — a. regimen repraesentativum nullum ex his omnino impedit, sed praestantiora ex illis: defensionem a turbationibus internis, et bonorum intellectualium, moralium procurationem parum promovet, inaequum bonorum materialium luxum potius procurat; e.

Ad min. 1 part. (nullum impedit). Proportionata media ad eos omnes fines adsunt, et si probe adhibentur sufficiunt.

Ad 2 part. (sed a perturbationibus internis). Ex electionibus popularibus periodice recurrentibus vehementes commotiones oriuntur, factiones oppositae formantur, inde irae et fraudes vix vitari poterunt.

Ad 3 part. (bonorum intellectualium). Teste experientia, haec sub regimine monarchico potius florent, quia internam pacem et tranquillitatem magis requirunt, turbis popularibus impediuntur; et quia principes magis quam democratici concertatores iis favere solent.

Ad 4 part. (bonorum materialium). Teste experientia, haec sub regimine

repraesentativo potius, imo ultra modum, florent, quia vulgaribus multitudinis appetitibus praeplacent, ac proinde in ea omnium animi sunt intenti ut plebis suffragia concilient, sensibus blandiantur.

Propositio 213.

Quoad onera civibus imponenda non quidem repugnat regimen repraesentativum, sed est aliis regiminibus imperfectius.

Prob. Teste experientia, sub regimine repraesentativo: 1) eae libertates magis restringuntur quae ad veram prosperitatem magis conferunt, eae magis conceduntur quae ad eandem vel minus conferunt vel imo perniciosae sunt; — 2) tributa imposita magis crescunt, — 3) multitudo virium et onerum militarium magis augentur; e.

Ad ant. 1 part. (libertates). Libertas arbitrii et libertas moralis et libertas nationalis minime mutantur quaecumque sit regiminis forma; — libertates personalis et civilis, non quidem ex natura rei, sed per accidens, at fere necessario, ob passiones humanas et indolem multitudinum, magis restringuntur; sed hae magis conferunt ad publicam prosperitatem, et sunt finis libertatis politicae; — libertas politica augetur; sed haec si libertatem civilem et personalem non auget, ad prosperitatem parum aut nihil confert; — libertates modernae illae, laboris, cultuum, preli, scholarum, associationum pravarum, ordinario augentur; sed hae potius perniciosae per se sunt; e.

Ad ant. 2 part. (tributa). Multum excrescunt: a) quia plerumque multo plures functionarii necessarii sunt ad varias partes administrationis, et ad avertendum periculum abusuum, — b) quia plerumque illi administri ultra modum multiplicantur ad captandam plebis benevolentiam, — c) quia excrescit numerus militum.

Ad ant. 3 part. (onera militaria). Vis militaris, non illa quae contra hostes externos, sed illa quae ad internam pacem et politiam ordinatur, multo major est necessaria, propter minorem pacem internam, frequentes commotiones populares, odia factionum.

Propositio 214.

Quoad consecutaria sua regimen repraesentativum gravissima et perniciosissima vitia habet.

Prob. Ex systemate hoc sequuntur, teste experientia, inevitabilia et necessario perniciosissima societati; a. haec non quidem huic regimini sunt per se essentialia si spectatur in abstracto, sed utique si spectatur in concreto cum natura humana perversa, qualis nunc est, cui illud systema debeat applicari; e.

Ad maj. 1) Nimium stimulat plurimorum pruritus se in rebus publicis gerendis immiscendi; — hinc exercitium alicujus auctoritatis partis habetur

innox tanquam medium ad bonum privatum potius quam ad bonum publicum procurandum.

2) Dividitur populus in varias factiones inter se adversas et exosas; — hinc perturbationes sociales frequentes, et in dies usque magis perniciosae, donec tandem vel deveniatur ad tyrannidem alicujus factionis, vel evertatur regimen, substituta principis alicujus potentia absoluta, vel decidatur in anarchiam.

3) In aemulatione factionum quarum aliae honestati student, aliae non, multo plura et potiora sunt media improborum omnia audentium, quam proborum honesta sola tentantium; — hinc necessario tandem devenitur ad dominium constanter institutum pravorum hominum, et perniciem universalem.

ARTICULUS 3.

De suffragio universali.

Propositio 215.

Suffragium universale nequit tanquam jus naturale omnibus debitum requiri.

Notiones. 1) *Suffragium universale* est jus omnium individuorum totius multitudinis, ut suffragio suo concurrant ad eligendos populi deputatos; estque haec *universalitas principiativa*, qualis hodie passim intelligitur. — Sed hanc non omnes eodem gradu volunt; vix ulli omnes homines, aliqui omnes adultos, plerique omnes viros adultos, alii omnes patresfamilias electores adire volunt.

2) Suffragium universale etiam *universalitate terminativa* aliqui radicales volunt, quo non solos legumlatores, sed et principem (reip. praesidem) et inferiores executivae potestatis ministros aliquos, imo et iudices magistratusque varios potestatis judicariae, suffragio populari eligerent. — Hic quoque alii alia extensione vota sua emittunt.

Stat. quaest. 1) Suffragium universale ordinario universalitate principiativa intelligitur; eoque sensu in his nostris propositionibus.

2) Hoc suffragii jus vario aspectu a variis defenditur. Alii defendunt illud esse jus naturale singulis hominibus vi ipsius legis naturalis; — alii esse jus naturale non quidem singulis hominibus vi suae naturae humanae debitum, sed societatibus civilibus omnibus quum primum satis provecata et evoluta civilitatis perfectione sint donatae, i. e. adultae; — alii dicunt illud esse non quidem strictum jus naturae, sed opportunissimum medium ad bonam et justam reip. administrationem. — Contra hos singulos singulis propositionibus dicimus.

Prob. Tale jus : 1) duceret ad theoretice absurda et practice impossibilia, — 2) nititur falsis suppositis, et confusionibus idearum; e.

Ad ant. 1 part. (duceret). Si est jus naturale, vi naturae humanae possidendum, debet competere omnibus etiam maxime rudibus, et feminis, et infantibus, qui omnes eandem habent naturam; — a. absurdum est et impossibile, de rebus gerendis et de bono communi ac mediis ad illud, iudicium aequum ferri ab his omnibus, praesertim in magnis et complicatis societatibus; e.

Ad ant. 2 part : cfr. objectiones.

Objic. 1° Natura nullum hominem alteri subjicit, — nullum prae aliis constituit ut praesit, — non dividit genus humanum in duas classes : regentium et servientium; e. — R. d. ant. natura abstracte, nude sumpta, c; natura in concreto, cum factis contingentibus et relationibus variis, n.

Objic. 2° Homo vi personalitatis suae a natura constituitur independens ab omnibus aliis, relate ad bona quibus procuratur conservatio et perfectio hujus vitae, et acquisitio finis ultimi; a. haec bona procurat auctoritas civilis; e. omnes aequaliter concurrere debent ad hanc auctoritatem exercendam (ea bona procuranda); e. — R. d. maj. relate ad gradum et modum quo procreet sibi finem ultimum, et relate ad usum mediorum ad illud conferentium, c; relate ad procuracionem illorum mediorum, n. (nec physice nec moraliter independens est). — c. min. — n. cons. vel d. omnes habent jus ut auctoritas ipsis procuret media, c; ut ipsi procurent, n.

Objic. 3° Qui aequaliter onera ferunt vitae socialis, jus habent aequaliter ad commoda hujus vitae; a. omnes cives aequaliter ferunt; e. — R. d. maj. jus ad libertatem civilem et personalem, ad finem societatis obtinendum, c; jus ad libertatem politicam, ad dirigendam societatem in finem ejus, n. — tr. min.

Objic. 4° Qui tributa solvunt pro functionibus publicis, jus habent exercendi influxum in modum quo illae functiones peraguntur, et in usum quo expenduntur pecuniae a se solutae; a. omnes solvunt; e. — R. d. maj. jus habent exigendi ut recte functiones illae exercentur, et percipiendi fructus ex his functionibus in societatem derivandos, c; jus determinandi qua ratione dispendantur illa tributa, n; — tr. min.

Objic. 5° Populus jus habet dirigendi seipsum in finem sociale (nam ordinare in finem est ejus, cujus est proprius ille finis : S. Thom. 1. 2^{ae}. 90. 3.); a. totus populus consistit in collectione omnium civium; e. omnes cives habent jus exercendi influxum partialem in administrationem reip. — R. d. maj. populus, i. e. societas inadaequate sumpta (multitudo sine auctoritate), n; populus, i. e. societas adaequate sumpta (multitudo cum auctoritate), sd. habet jus ut se totam dirigat, sed efficienter per auctoritatem, passive in multitudine, c; secus, n. — c. d. min. populus, i. e. societas inadaequata, c; adaequata, n.

Propositio 216.

Suffragium universale nequit tanquam jus naturale gentibus adultis debitum requiri.

Stat. quaest. Totum hoc suum argumentum adstruunt in comparatione inter hominem infantem, mox adolescentem, et societatem, quae crescit perfectione culturae civilis, et complexu conditionum ac instrumentorum quibus exercetur auctoritas. In *infantia* parum profecta est cultura artium liberalium, litterarum, doctrinarum, et auctoritatis exercitium est parum complicatum quoad numerum personarum et attemperationem functionum; in *adolescencia* cultura perfectior, et auctoritatis exercitium complexius est.

Prob. Major evolutio culturae et complicatius exercitium auctoritatis, 1) non dat jus vel necessitatem suffragii universalis, 2) esset potius ratio cur tolleretur hoc suffragium, ac restringeretur ad pauciores; *e.*

Ad ant. 1 part. (non dat). Major haec cultura per se non ostendit necessitatem ut omnia mutantur in directione societatis, sed potius ostendit omnia hucusque fuisse bona, et proinde non esse mutanda nisi aliunde nova ratio exurgat; — nec per se dat nova jura praeter ea quae ex novis quotidianis relationibus oriuntur, ac proinde non jus omnia mutandi sed potius officium retinendi salutaris ordinis existentis; *e.*

Ad ant. 2 part. (potius tollit). In societatis infantia omnia sunt simpliciora et faciliora, directio exigua imprimenda, nec proinde supra captum intelligentiae rudis multitudinis est, perspicere quid et cur agendum, et possunt omnes apte concurrere; — sed in societatis adolescentia, omnia complicata, plurima simul consideranda et ponderanda, difficilis directio, relationes plurimae servandae; ac proinde opus supra captum turbae et multitudinis; *e.* suffragium universale potius cum utilitate et progressu infantis societatis stare posset, at in adolescente tolli deberet.

Objic. 1° Ibi majus est jus, ubi praevalentia intrinseca et manifesta perfectionis; *a.* haec est in societate adolescente; *e.* — R. *d. maj.* ubi actualis aptitudo qua ante adolescentiam prorsus carebat idem ens, *c.*; ubi major tantum evolutio aptitudinum quibus tamen antea non prorsus carebat; *n.* (non jus fortioris est fortius jus).

Objic. 2° Persona humana est quidem inviolabilis, sed ejus facultates (materiales, intellectuales, morales) quandiu nondum ab ipsarum subjecto sunt occupatae, obnoxiae sunt primae occupationi alicujus apti ad eas dirigendas; — at ubi facultates, propria naturali evolutione, veniunt in dominium proprii subjecti, illa occupatio durare nequit, et paulatim cessat emancipatione progressiva subjecti; — *e.* a pari societas paulatim emancipari debet et seipsam regere. — R. *d. ant. 1 part.* obnoxiae sunt primae occupationi, i. e. alius habet jus illas occupandi, de illis disponendi tanquam de proprietate, *n.*; alius habet officium concurrenti ad illarum convenientem evolutionem, *c.*; — *tr. 2 part. ant.* — *n. supp. cons.* (auctoritas quae societatem dirigit

non est ens societati extraneum, sed est pars societatis adaequate sumptae, quae proinde semper seipsam regebat; — nec verum est multitudinem sine auctoritate debere vel posse se regere).

Objic. 3° Societates infantes incapaces sunt jurium politicorum quorundam exercendorum, ad quorum usum aptae sunt societates adultae; *a.* tale jus est determinandi per suffragium universale quomodo dirigi debeat corpus sociale; *e.* — R. 1) *tr. maj.* — *n. min.* (cfr. sup.) — R. 2) *n. maj.* (gratis assertum).

Propositio 217.

Suffragium universale nequit tanquam regimen opportunissimum requiri.

Stat. quaest. Tertium suum argumentum ita statuunt: ad perfectam societatis directionem requiri ut auctoritas cognoscat quid singulis membris prosit, quid noceat, ut bonum eorum promoveat; ad hanc cognitionem autem opportunissimum medium esse ut singula membra suam voluntatem et opinionem de modo reip. administrandae enuntient per suffragium.

Prob. Tale fundamentum suffragii universalis duplici nititur conceptuum confusione et falsitate; *e.*

Prob. min. 1) Falsum est bonum commune sociale coalescere ex collectione emolumentorum singulorum membrorum, et sic confunditur munus socialis auctoritatis cum munere singulorum membrorum; — nam a) bonum singulorum debent singuli sibi procurare, non auctoritas publica; haec debet singulos in hoc ipsorum munere ab injuriis defendere, ad illud media procurare; — b) bonum singulorum procurare possunt sibi singuli quantum juste possunt; illam procuracionem debet auctoritas ita limitare ut aliis non ultra modum noceat.

2) Falsum est remp. administrandam esse secundum omnium opinionem, vel varias omnium opiniones conciliando; — nam recta remp. administrandi ratio determinatur ex ipsa natura et fine societatis civilis, et est cognitu difficilis, plurima consideranda includens; unde in plebe multa ignorantia et multa opinionum varietas.

Objic. Non homines sunt propter societatem, sed societas propter homines; *e.* possunt de ea disponere. — R. *d. ant.* societas propter homines, i. e. ut eorum jura tueatur, eos ad finem ordinet, *c.*; ut ab eorum inconstanti voluntate dependeat, *n.*

Propositio 218.

Suffragium universale gravissima et perniciosa vitia habet.

Prob. Sub illo suffragii regimine: 1) illi convocantur ad iudicium de rebus publicis ferendum, qui longe majore numero inepti sunt ut de rerum administratione iudicent, vel idoneos administratores eligant;

2) Major quam in omni alio regimine est facilitas corruptionis suffragiorum : ob incapacitatem plurimorum, et ob frequentem boni privati inordinate conquisiti oppositione cum bono communi;

3) Administratio societatis obnoxia redditur voluntati incapaciorum et improborum;

4) Periculum est tyrannidis intolerabilis aliquorum ambitiosorum, qui nomine voluntatis generalis minoritatem injustissime opprimant, societatem ad plenam ruinam adducant;

5) Omnia eadem, et summo gradu, oriuntur incommoda quae in regimine repraesentativo.

ARTICULUS 4.

De statu moderno constitutionalis.

Propositio 219.

Fieri potest ut alicui genti status constitutionalis quoad sua essentialia, sit accommodatus; ubi autem legitime introductus est, vere obligat cives.

Notiones. 1) *Status constitutionalis* hodie generatim intelligitur societas civilis cujus lex fundamentis *scripta* regimen repraesentativum statuit, quam legem tum *princeps* tum *magistratus* tum *populus* per suos electos deputatos *jurejurando* promittunt se servaturos.

2) Sunt haec *essentialia* hujus status, de quibus solis hic sermonem habemus; de accidentalibus cfr. infra.

Prob. Iste status non est intrinsece inhonestus, ac proinde 1) si qua gens naturali suo ingenio peculiari magis firmata sit contra ejusdem accidentalia et multiplicia incommoda, si insuper longaeva educatione nationali et consuetudine ita illi statui adhaereat ut vix alio modo regi possit; erit huic genti accommodata haec forma regiminis et in concreto optima; — 2) sicubi legitime fuerit introductus ille status, legitime possidetur auctoritas, ac proinde haec vere obligat; *e.*

Propositio 220.

Quoad accidentalia sua, quae in modernis societatibus fere necessario comitantur, status constitutionalis perniciosus est; at passim ut minus malum ferendus est donec corrigi possit.

Notiones. *Accidentalialia* eo sensu quod theoretice concipi posset eorum absentia, at tam practice connexa, ut necessario aut simul inveniantur, aut paulatim inducantur, aut saltem apud plurimos sint in votis tanquam necessarium complementum systematis, sunt:

1) vitiosa structura intima societatis, in qua absoluta omnium hominum aequalitas, nulla distinctio ordinum, nullae corporationes operariorum;

2) vitiosa repraesentatio populi, qua numerus repraesentetur, non varii status variaequae necessitates;

3) vitiosum principium fundamentale supremae essentialis in multitudine residentis; cujus proinde varia voluntas sit suprema norma gubernandi; unde et saepe suffragium universale;

4) liberalismi moderni spiritus omnia penetrans, libertates modernas illas effrenas inferens (cfr. supr.).

Prob. 1^a pars (*perniciosus*). Accidentalialia illa status constitutionalis modernus vix non necessario secum affert ut partes integrantes legis fundamentalis, vel ut consectoria ineluctabilia; — *a.* haec singula sunt natura sua societati perniciosia; *e.*

Prob. 2^a pars (*ferendus*). Minus malum est ille rerum ordo qui per se quidem non est contra legem naturalem, sed per accidens perniciem paulatim inducit, quam ille totalis defectus ordinis qui per se et immediate contra legem naturae est; *a.* tales passim sunt hodie hominum plurimorum sensus, ut nequeat citius immutari societatis status, quin in plenam anarchiam delabamur; *e.*

Propositio 221.

Vitia status modernis constitutionalis multum leniri possunt; plene sanari, quamdiu stabit ipsum regimen, non possunt.

Prob. 1^a pars (*multum leniri*). Vitia illa quae ex regimine repraesentativo, ex suffragio universali, ex libertatibus modernis effrenis, ex liberalismo sequuntur, leniri possunt si remedia aliqua opposita quae malos fructus saltem extremos impediunt, inveniri et applicari possunt, quae tamen essentialia hujus systematis non repugnent; *a.* talia inveniri possunt; *e.*

Ad min. v. c. 1) si electiones ita fiant ut electi repraesentent non partem aliquantam multitudinis, sed aliquam partem boni communis promovendi, aliquodve organum; alii agriculturam, alii industriam hanc vel illam, alii artes, alii commercium, alii aliud;

2) si electiones minus frequentes, ad vitandam perpetuam nostram febrim electoralem;

3) si electi deputati non teneantur ipsi omnes leges conficere, sed tantum serium exercere influxum in administrationem societatis, ita ut v. c. illi soli possint vectigalia determinare, et ut graviora onera militiae, etc, nisi illis consentientibus imponi nequeant, et ut ad leges alicujus momenti ferendas eorum acceptatio requiratur, etc;

4) si corrigatur societatis structura per organicas distinctas partes et ordines;

5) si varie restringantur libertates effrenae modernae.

Prob. 2^a pars (*plene sanari*). Systema modernum constitutionale mala illa omnia producit, alia per se, alia per accidens quidem, sed ita ineluctabi-

liter propter passiones humanas, ut etiam si quando tollantur, tamen usque recurrant; *e.*

Schol. 1^m Quomodo ergo sub regimine repraesentativo jam a sex saeculis bene stet status constitutionalis Angliae.

R. 1) Plurimum differt status anglicus a reliquis modernis constitutionalibus; nam :

a) Indoli illius populi est accommodatus : tenacis consuetudinum, frigidi temperamenti, propriis privatis rebus facilius providentis.

b) Non applicatur alicui multitudini aequalium, sed societati organisatae, cum ordinum distinctionibus, etc.

c) Non fuit subito impositus societati, destructis omnibus praexistentibus, sed lente, duce natura, ex factis concretis variis evolutus.

d) Per quinque saecula nulla erat cultuum, religionum, preli libertas moderna, nec liberalismi tendentia; quinimo neque hodie est cultuum plena indifferentia.

e) Non usus est in Anglia, ut multiplices leges ferantur, antiquentur, iterum fiant; nec ut quod una factio fecit, altera succedens totum destruat, et in oppositum mutet; sed iisdem principiis et normis agendi, saltem quoad gubernationem internam societatis, utentes ambae factiones alternatim idem opus promovent.

f) Iudices numero pauci, sed valde honorati, magnae auctoritatis sunt.

g) Regia majestas magni habetur; omnes sciunt potestatem multitudini ejusque electis fuisse a regibus concessam, nec cuiquam venit in mentem theoria supremae essentialis et inalienabilis in multitudine.

R. 2) Bene stetit stabilis per saecula praeterita, quamdiu nullus liberalismi moderni anhelitus; sed ab his ultimis decenniis, liberalismi spiritui invadenti, ac passim jam suffodienti resistere se non posse ostendit; potestque praevideri mox futura similitudo cum europaeis miseris.

Schol. 2^m Quo modo inducenda mutatio societatum nostrarum in statum melius ordinatum. — R. Nihil fiat cito, nihil subito; sed praecedat intellectuum illuminatio, voluntatum inclinatio, executio lenta, semper in eandem directionem, per partes, occasionibus desumptis ex factis variis concretis.

CAPUT IV.

DE SOCIETATE INTERNATIONALI.

Propositio 222.

Existit jus internationale tum naturale tum positivum, quo variae societates civiles inter se uniuntur et obligantur.

Stat. quaest. 1) Ad quaestionem, utrum aliquod jus commune varias nationes inter se obliget, respondent recentiores alii, *nullo jure*, nullo officio

mutuo eas uniri : illi nempe qui omne jus ex societate civili et coactione per regimen oriri dicunt.

2) Alii dicunt existere jus gentium, seu internationale, sed illud esse *unice positivum* : totum oriundum ex sola mutabili voluntate hominum, minime ex ipsa lege naturali.

3) Alii dicunt illud esse *unice naturale* : totum oriundum ex sola lege naturali, praeter quam nulla alia existat obligatio inter nationes, quum nulla sit conventio universalis, nullus iudex vel auctoritas ab omnibus nationibus accepta et agnita.

4) Alii dicunt illud esse *unice in utilitate* fundatum, ex qua tota illius juris moralitas oriatur (Machiavel).

5) Respondent scholastici, existere jus gentium, idque ita ut complectatur : a) jura et officia *naturalia*, ex ipsa lege naturali immutabili oriunda, nationum inter se; b) jura et officia *positiva*, non directe ex lege naturali sed *ex consuetudine* universali oriunda, quae ad omnes gentes tum quoad vitam internam socialem, tum quoad externas internationales relationes extendantur; c) jura et officia *positiva ex contractibus et factis aliis concretis* orta, quae relationes inter varias aliquas, non omnes, nationes ordinent, sintque inter eas servanda sicut inter privatos cives variae similes relationes.

Prob. 1^a pars (naturale). Totum genus humanum, per omnium naturam humanam unam, ad finem ultimum unum destinatum, et per legem naturalem et moralitatem unam, efficit societatem naturalem universalem unam, mutuis officiis et juribus stabilitam; *a.* hoc vinculum sociale universale naturale exuere nequeunt homines, etiam quatenus particulares societates locales vel civiles ineunt; *e.* inter omnes homines, etiam quatenus societates varias civiles constituunt, est jus naturale; *e.*

Prob. 2^a pars (positivum). Singulae societates sunt personae morales, quibus essentialia manent omnia humana essentialia : finis ultimus cui omnia subordinanda, media rationalia moralia; *a.* talibus personis essentialiter inest capacitas assumendi officia, acquirendi jura, quibus melius determinentur ea quae ex sola lege naturali non satis determinata sunt; *e.*

Coroll. 1^m Ergo omnes societates civiles per se spectatae et praescindendo a variis factis particularibus, aequalia habent jura; in concreto autem jura possunt inaequalia esse sicut inter singulos homines.

Coroll. 2^m Ergo subjecta horum jurium internationalium non sunt soli principes nationum, nec singuli earum cives, sed integrae societates prout sunt unitates morales. Exercitium horum jurium non omnibus competere potest, sed societatum principibus, qui proinde simul sunt et auctoritatis civilis (jurium et officiorum) ad intra subjectum, et jurium officiorumque internationalium ad extra organum.

Coroll. 3^m Ergo sicut homines privati, ita et societates officio tenentur mutuae benevolentiae et auxilii.